



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia  
Sacra Et Hvmana Libri XVI**

**Caussin, Nicolas**

**Coloniae Agrippinae, 1634**

Paradoxon.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70090)

*Palindromia.*

Relatio, qua plura verba verbis pluribus vna serie, eodemq; ue ordine referuntur. Vide Cic. 3. de Orat. lect. 205. tale illud vulgatum.

*Pastor, arator, equos, panni, colui, superavi: Capras, rursus, hostes, fronda, ligona, manu.*

*Palinlogia.*

Iteratio. Hæc figura repetito eodem verbo, aut nomine, non diuersa vult intelligi, sed idem quod significatur efficere vehementius. Cuiusmodi est hoc: ferrum, ferrum, inquit, & hoc in iudicio dicit ter, eicianturq; proterui: repetitum enim hoc ferrum indignitatem rei, atque audaciam eius, in quem dicitur impensius significat. Nec solum nomen, aut verbum, sed omnis pars orationis iterari ad eundem usum potest: vt cum dicitur, Tu, tu Antoni, Cæsari tuenti, atque omnia permiscere cupienti, causam belli ciuili dedisti.

Palinlogia est, cum verbum, quod in prima sententia est vltimum, in sequente fit primum, vt

*Pierides vos hæc fatietis maxima Gallo, Gallo, cuius amor tantum mihi crescit in horas.*

Et, *Addit se sociam, simidisque superuenit Aegle,*

*Aegle Naia dum pulcherrima,*

Et, *Dei phobum vidi lacerum crudeliter ora,*

*Ora, manu, quo ambas,*

Et, *Concurrunt Tyrrhona acies, atque omnibus rursus,*

*Vni, cuiusque viro, rursusque frequentibus in-*

stant.

Latine dicitur iteratio.

*Paradiastole.*

qua dissimilia discernuntur: vt, cum te pro astuto sapientem appelles, pro confidente fortem, pro illiberali diligentem.

Paradiastole, hoc schema plures aut duas res, quæ videntur vnam vim habere, distinguit: & quantum distent, docet, suam cuiq; propriam sententiam subiungendo. Hyperidis, Nam cum caterorum opinionem fallere conaris, tu tere frustra aris: non enim probas te pro astuto sapientem intelligi: pro confidente fortem: pro illiberali diligentem rei familiaris: pro maleuolo seuerum: nullum est enim vitium, quo virtutis laude gloriari possis.

Hoc idem schema solet illustrius fieri, cum ratio proposito subiungitur. Id est, huiusmodi, quæ propter nolo te sapius parca appellare,

cum sis auarus. Nam, qui pareus est, vitur eo quod satis est: tu contra, propter auaritiam, quo plus habes, magis egges. Ita non tam diligentia fructus, quam inopia miseria te consequitur.

Paradiastole est, cum similes res discernuntur contrarijs redditis, vt

*Triste lupus stabulis, maturis frugibus im-*

*Arboribus venti, nobis Amaryllidæ: ira.*

Et, *Dulce satis humor, depulsis arbutus hæ-*

*Lenta salix fæto pacori: mihi solus Amyntas.*

Latine dicitur discriminatio.

*Paradigma.*

Paradigmatis quidem triformis est ratio. Nam exemplum, aut personas tantum exhibet sine sermone, aut sermonem sine personis, aut simul vtrumque. Personam sine sermone, vt Cic. in Milon.

Neque enim potuisset, aut Hala ille Scruilius, aut P. Nafica, aut L. Opimius, aut C. Marius, aut me consule senatus non nefarius haberi, si sceleratos ciues interimere nefas esset.

Sermonem sine persona. Catonis est dictum, pedibus compensare pecuniam.

Sermonem pariter, & personam, Cic. pro Roscio, Estne hoc illi dicto, atque facto Fimbriano simillimum? Rursum parabola & ipsa tripartita est, per icona, homæon, epagogen.

*Paradoxon.*

Sive hypomone, sustentatio, vel inopinatum. Idem p. 29.

Hoc schema suspendit sensum: deinde subicit aliquid contra expectationem auditoris, siue magnum, siue minus: & ided sustentatio, vel inopinatum dicitur. Cicero pro Ligario.

Hinc profectus, non ad Cæsarem, ne iratus: non ad domum, ne iners: non aliquam in regionem, ne condemnare causam illam, quæ secutus esset, videretur, &c.

*Paralepsis.*

Præteritio. Frequens est huius figura vsus, vbi quasi prætermittentes quædam nihilominus dicimus, sicut pro Milone tota illa quaestio inducta est, qua docet & Republ. fuisse occidi Clodium.

quod si non possem, inquit, diluere crimen, vt dilui, tamen gloriose hæc prædicare Miloni liceret.

Rr

Arera

Rur. Losp. p. 2.

Isid. Rof.

p. 33.

Idem p. 25.

Idem p. 29.

Aquil. p. 24.